

21 *sect. 2. cap. 34.* hinc idem dubium enasci in hoc casu potest, quod in visus recuperatione per Cataractam extractionem moveri posse dixi; sed libentius multo cum his dispensandum censerem, quam cum his, qui ex Cataracta visum amiserant, quippe cum ex Cataractis extractis non solum remaneat visus debilitas, sed imminet semper periculum reincedendi, ut ibi dixi, ac in hoc casu & visus omnino recuperatur, & nullum periculum recidivæ timeri potest.

Erant & alii permulti oculorum morbi, qui vel visum impediunt, vel deformitatem faciunt, vel utrumque simul causant, sed quia non omnia, ac singula possunt hic recenseri, satis illud sit dixisse, quod omnia ex magnitudine impediunt, & deformitatis determinationem recipiunt, juxta quam Episcopus vel per se, vel cum Medicorum consilio in nonnullis calibus dubiis judicabit, quando faciant irregularitatem, & quando dispensationem admittant, quando vero non.

S V M M A R I V M.

- 1 Nasus inter animalia soli homini datus, ejusque dignitas.
- 2 Nasi magnitudo, aut exilitas notabilis inducit irregularitatem.
- 3 Nasi tortuositas duplex, & quoniam faciat hominem irregularem.
- 4 Nasi carentia inducit irregularitatem à solo Papa dispensabilem.
- 5 Ex Nasi deperditione in altero conjugis sponsalia juramento firmata dissolvi possunt, & utrum recuperato Naso reintegrari debeant, num. seq.
- 6 Vicia Narium an irregularitatem inducant.
- 7 Polypus diversæ speciei, & quam inducat irregularitatem.
- 8 Narium caruncula quando faciant irregularem.
- 9 Hemorrhoides Nasi an, & quando faciant hominem irregularem.
- 10 Narium factor ex quibus causis provenire solet, & quando inducat irregularitatem.
- 11 Surditas perfecta, seu confirmata facit hominem irregularem.
- 12 Gravi auditu laborantes, qui serafistri dicuntur, an sint irregulares.
- 13 Auricula in totum abscissa an faciat hominem irregularem, etiam sit membrum, necne, num. seq.
- 14 Labiorum ulcera si notabilia sunt, & malignæ naturæ, dant causam irregularitati.
- 15 Labiorum corrosio summam deformitatem, ac dedecus affert, & quam irregularitatem inducat, & à quo dispensabilem.
- 16 Labium inferius relaxatum, maxime si mentum simul cum eo decidat, quodnam incommodum sanitatis afferat, & quam irregularitatem inducat.

De Nasi vitiis, Aurium, ac Labiorum.

Q V Æ S T I O V I I I.

Quantam utilitatem, ac quantum decoris obtineat in homine pars illa conspicua, ac prominens faciei, quæ Nasus dicitur, notum feci alias lib. 5. hanc Quæstionem Tit. 3. quæst. 4. à num. 1. ad 18 plures seqq. hæc pars soli homini à Natura concessa,

ac tanti ea de re æstimatur, ut non solum ejus exilitas, sed formositas, ac recta constitutio requiratur, ut quis ad sacra admitti possit: illud profecto palam est, ejus excessum in magnitudine, vel parvitate hominem antiquitus à sacerdotii consortio reppulisse, ut habetur Levit. cap. 21. vers. 18. & notavi etiam loco cit. num. 17. Neque injuria id factum est, siquidem Nasus primum in facie in intentum conspectum venit, & faciei deformitatem, aut formositatem primus prodit, præterquam quod interioris quoque pulchritudinis index habetur, obtortus enim nasus pravos mores ostendit, ac mentem obtortam, sicuti loco citato dixi. In eo ergo considerari possunt quamplurima vitia, ex quorum culpa homo irregularitatem contrahat, ac primo Nasi magnitudo, quam exilitas consideratur, ex cuius utriusque culpa, si notabilis sit, irregularitas inducitur. Majol. lib. 1. de Irreg. cap. 22. sub num. 1. sed tam magnitudo, quam exilitas à natura esse potest, & à morbo; sed si magnitudo, vel exilitas sit à natura animi potius vitium, quam corporis portendit; contra si sit ex accidenti, & à morbo, potius corporis infirmitatem portendit, quam Animi. Irregularitas utroque modo inducitur secundum Canonistas ob deformitatem, Medicus tam prædictas etiam causas considerat, nempe Animi pravam dispositionem, & corporis latentem morbum, & quidem notabilem, eruntque etiam in hoc hujusmodi irregularitates differentes ex eo quod naturalia vitia non possunt amoveri, accidentalia autem si de iis, quæ ad magnitudinem spectant loquamur, amoveri interdum possunt, si vero de iis, quæ ad exilitatem, & nequam amoveantur, nisi exilitas fieret ex totali, aut partiali privatione Nasi, nam tunc reparatur, ut alias dixi.

De naturali igitur vitio quoad magnitudinem, & exiguitatem, non est quicquam addendum: de magnitudine accidentaliter observamus, quod Nasus aliquibus vel ob affluxum humorum, vel post apostema, vel ob aliquam excrecentiam (omnia autem hæc in idem recidunt quoad causam talem ægritudinem generantem) adeo excrefcit, ut magnam inducat turpitudinem, immo & incommodum cessante autem humorem affluxu, vel diminuta ex arte excrecentia, aut sanato Apostemate, Nasus ad naturalem formam redire plerumque solet, & omnis turpitudine inde emanans cessat, quæ cessante, cessat etiam Irregularitatis causa, ut alias dictum est. Sed Nasi exilitas non tam de facili est amovibilis, ut observari potest quotidie in aliquibus, quibus ob ulcus interdum, vel ob quamcumque aliam causam Nasus indies decrefcit, corosis naribus, & subsidente ipso Naso: nam potest quidem prohiberi aliquando, ne ulterius decrefcatur, & in totum amittatur, prohibendo humorum affluxum, & ulcus consolidando, sed quod deperditum est per se non amplius recuperatur, sed ex arte cum maxima tamen difficultate; & in hac Nasi exiguitate semper remanet latentis, ac magni morbi causa, unde etiam si recuperetur, non effugitur ex mea sententia irregularitas proveniens à prædicto morbo, qui ut plurimum Gallicus, vel malignus est. Ex quibus Canonistæ quod & alias proposui discutiendum, videant, an irregularitas proveniens ex hujusmodi Nasi exilitate cessat, si Nasus ad naturalem statum per artis præsidia redierit. Ad Nasi etiam deformitatem pertinet illius tortuositas, & hæc quoque esse potest naturalis, & acidentalis; naturalis majorem causam præbet

Quæstio VIII.

De Irregularitate.

præbet irregularitati, quam magnitudo, & exilitas duplici ex causa, nam & magis decori faciei officit, si insignis sit, & majus vitium Animi portendit, ut dixi enim Animi tortuositatem denotat, & est ex signis minus fallacibus, cum raro, immo rarissimo talis tortuositas existat absque morum pravitate. Quæ autem accidentalis est nihil quicquam tale significat, & quia non nisi ex magnis morbis provenire solet, non facile succedit, ut homo cum tali tortuositate Nasi supervivatur; convulsionem enim maximam internarum Cerebri partium ostendit, & est ex signis non solum læthalibus, sed ex iis quæ proximam mortem significant, Hipp. lib. 1. Prægnos. part. 17. ubique Bened. Victor. Cardan. aliis que in comm.

4 Sed & præter figuræ depravationem in Naso, ejus carentia maxime in considerationem venit, ob quam nulla difficultas est, quamcumque fieri irregularem, atque à solo Papa dispensari posse Majol. lib. 1. de Irreg. cap. 22. num. 2. quæ regula videtur mihi excendenda, ut non solum locum habeat in totali carentia Nasi, sed etiam in aliqua pars ipsius notabilis deficiat, vel si omnino subleat ita, ut eminentia ipsius non amplius appareat; nam & totalis carentia, & partialis, si à morbo proveniat, majorem subesse causam morbi denotat, ut jam superius dixi, ubi etiam de reparatione Nasi verba feci, & alias ex Sanchez dixi, sponsalia juramento etiam firmata ex deperditione Nasi alterius conjugum dissolvi posse, & dubitavi, an ex reparatione Nasi sponsalia redintegrantur; & quia deperditio Nasi habet causam ut plurimum morbosam, & quidem gravissimam, & ut plurimum contagiosam, videbatur mihi dicendum, non teneri sponsum sanum sponsalia redintegrare etiam recuperato Naso per sponsum infirmum; idemque crediderim dicendum quoad irregularitatem, cum etiam recuperato Naso ex Gallico ac sævo morbo deperdito, urgeat ipsa morbi Gallici malitia, sed Canonistæ magis ad rem hæc determinabunt. Sed ponamus Nalum quem non à morbo, sed in bello amisisse, vel illi fuisse ab hostibus præcisum, vel quemodocumque per vim externam fuisse deperditum, ac deinde arte recuperatum, certe viderentur spem sponsalia redintegrari debere, de Irregularitate autem quid sit determinandum, non tam in proparulo est. si enim Nasus in rixa, & maxime injusta fuerit amissus, urget scandalum, quod cum maxima ex parte cessat recuperato Naso. Porro Nalum deperditum ita reparari posse, ut nullam invenustatem, neque deformitatem præferat, ostendunt opere, & sermone plures Medici, sed ex his vide præcipue Talliacotium de Cur. Chirurg. lib. 1. cap. 19. & seqq. & Cortesium Misellan. dec. 3.

Præter commemoratas Nasi deformitates, & incommoda, in eo veniunt plura alia vitia, ut ulcera, & quidem maligna, & cacœthica, caruncula, apostemata, inflammationes, tumores, hæmorrhoides, Polypus, fetor, & id genus alia. Et quoad ulceratum certum est, ea non solum esse plerumque maligna, sed & turpitudinem, & indecentiam multum afferre; quia ut plurimum vel saniosam materiam per nares ex ipsorum culpa expargatur cum fetore, vel solum fetorem reddere, sed tantum, ut à propinquis tolerari absque stomacho non possit; & quia urget etiam difficultas, sanationis, & latentis morbi suspicio, immo certitudo, videant Canonistæ, cum hujusmodi ulcera ad prædictam gravi-

tatem pervenerint, vitium irregularitas talis sit, ut ab Episcopo dispensari possit, vel eius dispensatio ad Papæ auctoritatem referatur.

Quoad Apostemata, tumores, & id genus alios morbos sciendum, omnia venire sub nomine Polypi, teste Falloppio lib. de Tumor. c. 23. Est tamen Polypus non unius generis, nec quoad turpitudinem, nec quoad sanitatis incommodum, nec quoad curationis difficultatem; cum alius sit maximus, & insignis, alius hoc minor, alius sanitati summopere officiat, alius autem panem, & alius facile sanatur, alius vero difficillime, aut nunquam; immo alius est, qui neque curari potest, neque tangi se illo modo permittitur, ut quando in Cancri naturam degeneravit; verus tamen Polypus duplex est, unus qui simplex tumor est absque ulla cacœthica, seu malignitate; alter qui cancerosus existit; & licet, quando Polypus cancerosus est, curationem non admittat, non tamen quando simplex tumor ex curatu adeo facilis existit, quin raultum negotii Medicis exhibet, quia plerumque inter curandam in cancerum degenerat, unde jure merito à Talliacotio de Curt. lib. 1. cap. 21. inter eas operationes Chirurgicas Polypi extractionem enumerat, quæ non sine summa molestia, & periculo sunt, & quæ summam curantis industriam exposcunt. Sed cur hic tumor vocetur Polypus, si quis scire desiderat, duplicem causam ab Auctoribus assignatam esse cognoscatur; una quod ejus substantia mollis est, & alba, ad instar Polypi piscis, altera quod non minus quam idem piscis Polypus tenaciter adhæret parti, quam primo apprehenderit, unde facete Plautus in Aulul. Act. 1. Scen. 4. alias à me ad hoc ipsum propositum adductus ad avaros denotandos dicebat.

Ego istos novi Polypos, qui ubi quid extigerint, tenent, eodem modo tumor hic adeo tenaciter naribus hæret, ut non nisi illum circum circa excidendo curari possit, & habet præterea non aliter quam ipse piscis Polypus veluti multos pedes, quibus affectam partem archissime alligant, tenet. Sed hæc ex abundantia, quod ad rem nostram facit, illud est, hunc tumorem afferre secum & deformitatem, & sanitatis detrimentum, & scandalum, quæ omnia apud Canonistas sunt potissima Irregularitatis causæ, quæ quanto minus amovibiles sunt, tanto minus dispensabilem irregularitatem inducunt, unde magis dispensabilis erit, quæ provenit ex simplici Polypo, quam ex cancerolo, ut patet.

Non habent omnino eadem incommoda Nasium caruncula nisi notabilis sint magnitudinis, cum tutior, & facilius eorum curatio sit, imo neque eandem turpitudinem afferunt, neque incommodi tantumdem ut Polypus; proximior nature Polypi est hæmorrhoides, & curam fortitur Polypo similem; 10 unus tantum timor in ejus curatione imminet, ne scilicet ad ejus curationem hæmorrhagia, hoc est, sanguinis fluxus sequatur, qui non facile deinceps cohiberi possit. Interim Hæmorrhoides habet turpitudinem Polypi non ab similem, majorem tamen, aut minorem prout major, aut minor est, quæ causa absque dubio irregularitatem apud Canonistas inducit; per quem tamen sit dispensabilis, ipsi stantent. Narium factor alia passio est ipsarum Narium, qui aliquando tantus est, ut nonnullis animi defectum excitet, dum illum percipiunt, aliis præ animi angustia difficultatem respirationis causet, aliis vomitum excutiat; & licet nihil exterius hoc vitium interdum se prodatur, neque ullam turpitudinem ostendat,

dat, est tamen talis ac tanta ejus vitii indecentia, & ignominia, ut non modicum scandalum inde excitari credam potissimam irregularitatis causam; & quia hujusmodi fetor potest variis ex causis provenire, & maxime ob ulcus earundem narium; vel ob Ozanam, vel ob Polypum, vel ob corruptionem humorum in interiore Cerebri parte; aut ob corruptionem Ossis Ethmoidis, aut ob vitium partium inferiorum ut Pulmonum; aut ventriculi, sciendum fetorem, qui provenit à partibus inferioribus esse minorem, & magis curabilem (licet minus curabilis sit procedens à vitio Pulmonum, quam à vitio stomachi) contra qui provenit ob ulcus, a postema, vel corruptionem partium non removeri, nisi summa cum difficultate; & forte nullo modo, quia non amovetur, nisi ulcus, a postema, & corruptio removeantur; quæ plerumque removeri non possunt. Qui ex humorum corruptione in cerebro fuscitatur non de facili sanationem admittit, est tamen prædictis magis curabilis. In omnibus prædominatur turpitudine; & indecentia, quarum utramque determinabunt Canonistæ; an insufficientes causæ sint inducendæ irregularitates. Circa autem tria vitia ad rem nostram consideranda; sorditas nempe, gravis auditus; & auricularum defectus, seu mutilatio. & de sorditate nihil est quod peculiariter admoneamus, cum notissimum sit perfectam sordiditatem facere hominem irregularem. Majol. lib. 1. cap. 25. num. 1. & quia consummata sorditas est ex morbis insanabilis. Paul. lib. 3. sua Mod. cap. 23. immo ex his, qui indices ingravescent, quia procedente ætate quilibet sensus hebetior ad sentiendum evadit, videndum à Canonistis, an locum habeat cum hac sorditate dispensatio, & per quem fieri debeat. Sed hi quoque qui gravi auditu laborant, & sordiditatem dicuntur, si utriusque Auris vitium habeant, etiam per longum tempus male habuerint, non videntur ab omni Irregularitatis censura esse immunes, cum læsum habeant sensum perfectissimum cum certitudine totalis amissionis ejus, quia teste Gal. 2. de composit. medic. prim. loc. c. 1. tit. ad audit. gravit. hic gravis auditus imperfectam, ac consummatam sordiditatem degenerat; cum ergo id, quod de præsentis est, & quod de facili esse potest comparentur, videretur homini sordiditatem ubi prædictæ in illis conditiones concurrant, non minus quam surdos irregularitati esse obnoxios, quod ipsi Canonistæ determinabunt.

12
13
14
15

Infirmum. Olor. quam Iureconsulti, ut Gloss. in c. singulari. n. Oculis dist. 89. dixerunt, Aurem esse membrum, intellexerunt de Aure interna, non de externa, quæ proprie Auricula dicitur, quam inter membra contineri, ut vult Majol. lib. 1. c. 25. num. 5. est omnino falsum ex prædictis.

Circa labia contingunt ulcera, tumores, excrementa, relaxatio, & alia permulta vitia; sed ulcera si notabilia sunt, & multo magis si sint malignæ naturæ; & curationem difficulter admittant; habent secum plurimam deformitatem, ac dedecus, & abominationem; & scandalum, quæ urgentissimæ causæ irregularitatis existunt; an autem ejus ponderis sint, ut Papæ auctoritatem pro dispensatione irregularitatis requirant, Canonistæ statuere poterunt. Cum his ulceribus pari passu procedit labiorum corrosio; quæ jam causas irregularitatis facit graviores; deformitas enim, & dedecus, & scandalum ex carentia læsionem notabiliter increpescunt, patentibus dentibus, & Oris hiatus cum multo intuentium horrore; quamobrem irregularitas, quæ ex hoc vitio inducitur, erit ex his, quæ Pontificiam auctoritatem exposcunt, quantum ex similibus casibus consilio.

Labium proinde, & maxime inferius relaxatum, quandoque ac decidit interdum ex se; interdum cum toto mento; & in aliquibus vidi tam turpiter eam partem relaxari, ac decidere, ut tenui, sed forti filo eam alligare, & in suo loco continere fuerint coacti. in qua infirmitate, & turpitudine apparet, & minus liber corporis, vel oris usus tam in cibo, & potu assumendo, quam etiam in loquendo; ex quibus facile possunt Canonistæ statuere, an tales sint irregulares, & an dispensandi, nec ne.

S V M M A R I V M.

- 1 Oris fetor, quatenus & quando possit inducere irregularitatem.
- 2 Ora distortio an inducat irregularitatem.
- 3 Palati ulcera que sint causæ irregularitatis.
- 4 Dentium vitium nullum adeo grave videatur, & inducere debeat irregularitatem.
- 5 Dentium dolor an, & quando debeat inducere irregularitatem.
- 6 Gingivæ ulcera queenam faciant irregularem.
- 7 Lingua præcisæ ex qua causata, & quando faciat hominem irregularem.
- 8 Lingua magnitudo & excrementa quando causat irregularitatem.
- 9 Lingue Paralysis, aut Convulsio an faciat irregularem.
- 10 Obscure loquens quando sit irregularis.
- 11 Rancedo quando faciat hominem irregularem.

De vitii Oris, Palati, Dentium, Gingivarum, & Lingua.

Q V Æ S T I O I X.

A Bominabilis affectio est, & sæditatem habet Oris fetor, & licet formæ nihil incommodet, portendit tamen internarum partium morbosam constitutionem & illam quidem non aspernendam, ubi scilicet sit indefinens, nam si perpetuus non sit, & à causâ extrinseca enascatur, ut à nimio cibo, nihil

nihil tale minatur. De hoc vitio non aliter dubitari potest, quam de fetore Narium, de quo in superiori quest. num. 11. ac profecto ea omnia, quæ in eo locum habere diximus, habebunt etiam locum in fetore oris; licet hic plures numero causas habere possit, quam ille, consideratis igitur causarum illum excitantium gravitate Canonistæ decidere possunt, quando hic fetor inducat Irregularitatem, & quando dispensari possit, aut non.

Oris distortio deformitatem magnam asserit, sive illa à convulsione, sive à paralyti eveniat; & certe si magna, ac conspicua sit, non dubitandum, quod sit ex causis Irregularitatem inducentibus, ac tanto magis id verum erit, quanto magis constabit, eam relictam fuisse ex prægressa Apoplexia, vel Epilepsia, & multo etiam magis si pateat hujusmodi Apoplexiam fuisse fortem, & Ager sit jam gravioris ætatis, quia tunc tale vitium curationem non admittit; immo indices & deformitas, & incommodum sanitatis ex eo crescit; sed hæc distortio potest major, & minor esse, & sic majorem, aut minorem deformitatem asserre, & majus, aut minus sanitatis incommodum, juxta cujus qualitatem Irregularitatem pro eam induci, aut non induci Canonistæ determinabunt, qui tamen & impedimentum in loquela, in masticatione, in potu, in expulsiōne ex eo vitio emanans considerare debent.

In Palato sunt ulcera maligna, & cacoethica, ex quorum vitio Nalis interdum perditur, & fetor semper oris emergit; & de his non aliter statuendum, quam statutum sit de Nasi ulceribus, de quibus abunde in superiori quaestione. Quod si prædicta palati ulcera non sint malignæ naturæ, nec deapscientia, cum non facile ab extra appareant non erunt forte, ut priora sufficiens causa Irregularitatis; nam priora præter incommodum sanitatis quod patet Gallicam luem præterea dominari satis clare ostendunt.

Circa dentes non habent Canonistæ quicquam consideratione dignum, quod dubium excitare videatur, an Irregularitati causam præbent, necne; nam etiam si distorti sint, vel eorum plures deficiant, aut etiam omnes, vel si extra os promineant hominem non facere irregularem dicunt. Majol. lib. 1. cap. 24. neque enim ex eorum carentia talem deformitatem agnoscunt, quæ clari non possit, neque tale incommodum sanitatis, & liberi corporis usus, quod in sacrorum administratione ulla impedimento sit. Sed certe prominentia Dentium in aliquibus tanta est, ut insignem afferat deformitatem; maxime si cum prominentia jungatur eorundem Dentium magnitudo, quia non dentes humanos, sed porcosinos, aut potius Aprugnos eos habere, dixeris; cumque hæc deformitas non facile abscondi possit, videndum, an sufficiens causa Irregularitatis debeat esse. Præterea dentes nonnullis corrumpuntur, & gravem oris fetorem causant; sed his gratis omittis, quid de eorum dolore dicendum? hic certe tantus quandoque est, ut ex ejus impatiencia non solum sibi avellet dentes, & proci permittant; sed præ anxietudine caput ad parietes allidere interdum cogantur. Quis ergo non æquiparari dixerit hunc cuiusque alterius partis vel acerbissimo dolori? & quis negaverit eum, qui hujusmodi dentium dolori est obnoxius, ac frequenter, & ex quacunque vel minima causa eo præhenditur, non minus quam qui capitis dolore gravi tentari solet, esse ab Irre-

gularitate immunem? Itaque & hoc ipsum vitium Canonistis considerandum propono.

Gingivæ ulcera pati possunt maligna, serpentina, & cancerosa, quæ non minus ac cætera id genus ulcera Irregularitatis causa esse possunt, siquidem & insanabilia sunt, & gravem oris fetorem producant, licet corporis munia exercere hominem non prohibeant, cætera autem vitia gingivarum non ejus gravitatis sunt, aut de illis ad hanc rem mentionem facere oporteat, de his ergo hæc satis sunt.

Lingua præcisæ hominem mutum reddit, quod potissima causa Irregularitatis est; sed advertit quod alias admodum lib. 2. harem Quest. tit. 3. quest. 8. nu. 4. linguam aliquando in totum, & radicem præcisam esse, alias autem ex parte exteriori; & loquelam in totum perire si tota sit præcisæ, si vero ex parte loquelam depravari, aut etiam aliquoties perire ad tempus, nam augetur ipsa lingua, & sermone usul majori ex parte redit, ut de quodam adnotavi loco allegato. In his autem casibus arbitrium Episcopi maxime videtur habere locum pro majori, aut minori sermonis impedimento.

Præterea Lingua vel à Natura, vel à morbo quando naturalem magnitudinem excedit, nam à natura vidi Puerum natum cum lingua adeo magna, ac longa, ut extra os tribus digitis prominere, & si eam aliquando foras extendebat monstruosum judicari quid poterat, tantopere prominebat; de eo mentionem alias feci lib. 2. harum Quest. Tit. 1. quest. 7. nu. 11. Ex morbo autem lingua vel augetur, vel ita augetur, ut ore contineri non possit, qualem viderunt Galen. & Forest. referere Daniel. Senert. lib. 1. præf. part. 3. sect. 5. cap. 2. Non dubium ergo esse debet, quin hoc casu, & maxima deformitas, & magnum liberi corporis usus impedimentum insit; & deformitas quidem per semetipsam conspicua intuentibus sit, impedimentum autem causatur in loquela, in masticatione, in respiratione, & aliis actionibus; præbebit ergo hujusmodi magnitudo Lingua duplici ex capite causam Irregularitati, ut patet.

Sed aliquid quoque lingua crescat, aut ullo modo magnificetur, paralyticam patitur, ita ut contineri ore non possit intra sua septa, ac præter hæc aliquando ita retrahitur ex convulsione, ut neque ullo modo adesse in ore videatur, neque moveri possit, & in utroque casu tam paralyticam inquam, quam convulsivam loquela vel in totum amittitur, vel maxima ex parte, ac notabiliter impeditur. Verum in paralyti præter mutitatis incommodum etiam invenituras plerumque & deformitas cum extra oris septa promineat. In convulsione autem cessat ea deformitas, & tamen, ut dixi, ad interiora interdum tantopere retrahitur, ut aperto etiam ore nulla ejus vestigia appareant, quod maxime notavi in muliere uteri præfocacione detenta; quæ sentiebat quidem quacunque dicebantur (ut fieri plerumque solet in similibus præfocacionibus) nam manus cuiusque parti admovebat, & os diducebat, ostendebatque mihi præcipue molestiam, & in partibus spiritualibus percipere: si ergo qui linguæ usum amittunt sunt irregulares. D. Thom. p. 3. q. 82. art. 1. ad 3. ex quo Majol. lib. 1. cap. 26. num. 2. uterque casus inducit Irregularitatem.

Et quia Lingua sermonis modulatrix est, de loquela vitii, si quid considerandum esse offerat, aptus hic locus est. Sunt autem multa impedimenta, quæ circa loquelam occurrunt, de quibus singulis

mentionem feci lib. 2. tit. 3. quæst. 11. quæ in nullo casu habuisse videntur Canonistæ, si unam mutarem excipias. Itaque nec Balbum, nec Blasium voluerunt ulla Irregularitate obstringi. Majol. loco citato. forte & idem dicerent de Atypis, Traulis, & Pfellis, & id genus aliis, de quibus locutus sum præd. lib. 2. ubi supra. Sed inter hujusmodi loquelæ vitia illud est, ex quo quis obscure loquitur, ut illi interdum faciunt, qui inter somnandum obloquuntur, quod vitium vulgo significamus hoc verbo, parlar fridenti, & est in aliquibus adeo notabile, ut vix, ac ne vix quidem percipi possint ab audientibus, unde etiam si sermonis usus in his non totaliter perierit, tam modice illis inservit, ut pro perditio haberi possit. hoc vitium dici à LL. loco supra cit. Asymiam dixi, & recte ex ejus culpa hominem morbosum debere dici ab ipsis LL. determinatum in l. Murem. ff. de Edil. editi ac sunt qui credant idem vitium esse hoc cum Cælostomia, quando nimirum homo quasi in oris recessu, & ipsa gula loquitur, & ita obscure, ut modicum sonum efformet, & non intelligibilem. Ea ratione sermonis usum habuisse ferunt Gigantes Patagines nominatos qui de rebus Indicis commentaria scripserunt. Sed sit quomodocumque illa generalis regula præscribi potest, quod ubi nullus sermo est, aut nullus, vel valde modicus ejus usus, evidens causa Irregularitatis prædominetur.

11 Raucedo non ab omni dubio immunis videtur, an inducat Irregularitatem, nec ne; licet enim pleurumque levis affectio sit, & facile removeatur, quando ex destillatione simplici pervenit (licet in senibus concoctionem non admittat, teste Hipp. lib. 2. Aphor. 40.) tamen aliquando perpetua est, ac talis, ut sonus vix percipiatur, sitque à perenni, & contumaci destillatione interdum cum faucium, & partium ad vocem inservientium ulcere, portenditque semper majus aliquod malum, & signanter morbum Gallicum jam confirmatum, qua de causa ab Haliabbate ferri, qui raucedinem perpetuam patiuntur, tanquam morboſi, & suspecti de Elephantiasi, seu lepra respuuntur. Itaque determinandum à Canonistis est, an Raucedo ejus gravitatis, quam commemoravi, sit sufficiens causa Irregularitatis, & an, & quam dispensationem requirat.

Est & aliud vitium quorundam ad loquelæ concinnitatem pertinens, cum quis per ipsas Nares loquitur, quod vulgo dicimus, parlar est Naso; quod videtur perfectio magnam secum habere indecentiam, an vero tanta ea sit, ut sufficiat ad Irregularitatem inducendam, Canonistis statuendam relinquatur.

S V M M A R I V M.

- 1 Pectoris vitia quæ respectu Irregularitatis sunt consideranda.
- 2 Tussis quæ, & quando inducat Irregularitatem.
- 3 Sanguinis sputum quotplex, & quando præbere debeat causam Irregularitatis.
- 4 Syncopis plures gradus, & quando ex ea induci debeat Irregularitas, & quid de Animi deliquio, & Lipothymia.
- 5 Phthisis qui morbus, & an, & quatenus faciat hominem irregularem.
- 6 Asthmatis diversæ species, & quænam illarum Irregularitatem inducat.

De vitiiis Pectoris, partiumque cæterarum spiritualium.

Q V Æ S T I O X.

IN pectore multæ sunt partes tam externæ, quam internæ; de externarum vitiiis suo loco differemus, nunc de vitiiis internarum, inter quæ quinque præcipue veniunt consideranda; nempe Tussis, Hæmoptois, hoc est sanguinis sputum, Phthisis, Syncopis, & Asthma. Quoad Tussim, quamquam hæc levis plerumque affectus censetur, & de qua frustra verba facere instituamus, tamen offertur consideranda quædam peculiaris tussis, quæ non facile videtur debere esse ab irregularitate immunis ob insigni impedimento, & molestiam, quam affert, & periculum, quod minatur, & scandalum, quod excitari ex ejus vi inter ministrandum potest. Hæc Tussis Thiriodes, & ferina, & maligna dicitur, & est Tussis molesta, vehemens, & frequens, quæ suppressi nequaquam potest, & minima quaque ex causa inualeſcit; nam & inter loquendum, & inter respirandum, & inter bibendum promptissime excitatur, nec nisi difficulter quiescit, ita ut homini nullum omnino tempus intermissionis concedat, quamobrem pessimos, ac læthales morbos excitat; proximis tamen ex ea imminet periculum rupturæ venarum pectoris, quæ ob violentiam, & indefinentem motum ipsius Tussis distumpuntur, & sanguinem effundunt, ex quo deinceps ulcus generatur: nam à sanguinis sputo, Paris sputum, à Paris sputo Tabes, & Mors. Hipp. lib. 7. Aphor. 15. Ergo ex hac Tussi fit, ut Aegri aliquando ex improviso cum magno impetu sanguinem ab ore rejiciant. Non unico igitur ex capite intrat in hoc casu Irregularitas, sed ex multiplici, nempe ex impedimento liberi usus corporis, ex imminente periculo majoris morbi, & imminente scandalo inter ministrandum.

Sanguinis sputum à multis partibus provenire potest, à capite scilicet, à gingivis, à palato, à faucibus, à stomacho, à pectore, & partibus spiritualibus. Ad rem nostram illud tantum videtur in consideratione habendum quod ex pectoris, & partium spiritualium vitio provenit, licet quodcumque sputum, quod cum molesta Tussis, & cum impetu ab ore rejicitur, videtur in consideratione habendum, circa ea, quæ dicemus: nam potest, & ab Hepate, & à Liene, & ex retentione consuetæ evacuationis per Hæmorrhoides, vel per uterum factæ provenire, in quibus omnibus casibus semper malum portenditur juxta Hipp. sent. lib. 4. Aphor. 25. Sanguis qualiscumque si sursum feratur, malum. Tamen non ejus periculi est sanguis ex capite, Gingivis, & oris partibus proveniens, neque idcirco videretur esse sufficiens Irregularitatis causa, contra quam dicendum sit de sputo sanguinis, quod à pectore, aut etiam aliunde ab inferioribus per os fiat, quia semper minetur ulcus Pulmonis ex vasorum apertione, & Phthisis; quamobrem cum ob presentem morbum, & sanitatis incommodum, tum ob imminens periculum, & scandalum in administratione sacrorum, videtur hoc symptoma sufficiens causa Irregularitatis, dummodo tamen non ablit dispositio ad hos subsequentes morbos, sed ex Tussi perenni, difficultate respirandi, constitutione pectoris,

toris, & aliunde ea dispositio manifestam de recognitionem præbet.

4 Syncopis sunt plures gradus, primus est, qui dicitur Animi defectus, vel Animi deliquium, secundus, qui dicitur Lipothymia, vel Lipothymia, vel Apopthymia. Tertius qui dicitur proprie syncopis, qui est omnium gravissimus, minus gravis est Lipothymia, & adhuc minus Animi deliquium. Circa hunc affectum animadvertendum, quod syncopis omnino differt à vertigine, ab Apoplexia, & Epilepsia, & sunt tam differentes, ut sunt affectus diversarum partium, & à diversis causis procedentes, ita ut nullum symbolum habeant contra id quod ex Gabucino dicit Majol. lib. 2. de Irreg. cap. 16. num. 12. vers. ad Comitales: nam vertigo, Apoplexia, & Epilepsia sunt passionis Cerebri, Syncopis est passio Cordis; illi affectus ad partem animale hinc vitale spectat, unde differunt etiam induratione, nam syncopes de raro revertitur, & si revertatur, hominem è medio tollit; affectus autem illi præcipue vero vertigo, & Epilepsia facile aliquando revertuntur, & cum illis homo ad plures annos perdurare potest. Verum quidem est, quosdam Medicos, inter quos est Mercatus, putasse Lipothymiam, quam secundum gradum Syncopis fecimus, esse affectum Cerebri, & hoc pacto maxime convenire cum vertigine, & Apoplexia, sed recte hæc sententia convellit ab aliis, & præcipue à Daniel, Sennert. lib. 2. tract. par. 4. cap. 6. Recte tamen à Canonistis videtur decusum, quod patiens syncopim motum ipsius Tussis distumpuntur, & sanguinem effundunt, ex quo deinceps ulcus generatur: nam à sanguinis sputo, Paris sputum, à Paris sputo Tabes, & Mors. Hipp. lib. 7. Aphor. 15. Ergo ex hac Tussi fit, ut Aegri aliquando ex improviso cum magno impetu sanguinem ab ore rejiciant. Non unico igitur ex capite intrat in hoc casu Irregularitas, sed ex multiplici, nempe ex impedimento liberi usus corporis, ex imminente periculo majoris morbi, & imminente scandalo inter ministrandum.

5 Phthisis est ulcus Pulmonis ad quod consequitur hæctica febris, sive habitualis morbus est; cum jam est confirmatus, qui curationem non admittit, nec tamen facile curatur, etiam si confirmatus non sit, quæ habet præterea conjunctum secum contagium, & quandoque tanta pravitæ, ac malignitate committitur, ut hâitu inficere possit; sed nota, non tantam energiam ejus contagium habere, quantum sibi persuadet Majol. lib. 2. cap. 20. num. 1. non licebit contagiosus, non tamen aliquorumque subjecto in quodcumque & quodcumque communicatur; qui enim ætate jam perfecti sunt non tam facile inficiuntur, ut ille credit, imò neque alii quicumque nisi habeant quandam à natura propensionem ad prædictum contagium contrahendum, quod non

simplici habitu semel, atque iterum percepto contrahunt, sed longa, ac multa reiteratione, ac conversatione cum persona infecta, ut de aliis quibuscumque contagiis ut plurimum usuvenit, sed quomodocumque sese res habeat, Phthisis vera etiam non confirmata non unam habet causam sufficientem ad inducendam Irregularitatem.

Asthma molestissimus affectus est, ex quo animal libere respirare non potest, & est triplicis generis, unum quodque autem suum habet peculiare nomen, & illud certum est, quod quoscumque generis sit, hominem libero corporis usu privare solet; & quia morbus hic est ex facile recurrentibus, cum minima quandoque ex causa revertatur, idcirco determinandum, an omnes ejus species, vel aliquæ tantum, & quæ inducant Irregularitatem, nam certum est omnes non esse pariter sufficientes ad eam inducendam, sed unam esse alia potiore causam. Itaque simplex anhelandi difficultas, seu gravis anhelitus, vel anhelatio, in qua densus, creberque fit spiritus, appellatur Dyspnæa; si vero adhuc magis densa, ac crebrior respiratio fiat, qualis eorum, qui violento cursu de proximo sunt defatigati, Nominatur Asthma; si vero tantopere respirandi difficultas crescat, ut homo non nisi recta cervice respirare possit, vocatur Orthopnæa: non est igitur dubium, quod in Dyspnæa, seu simplici Anhelatione, & difficultate respirandi minor militat Irregularitatis causa, si quæ militat, quam in Asthmate, & minor etiam in Asthmate, quam in Orthopnæa; unde ob id Dyspnæa laborantes non omnino forte erant repellendi à promotione ad sacra, & ad eorum administrationem, nisi forte in ipso paroxysmo, ex quo tamen non majus imminet periculum, ex cujus violentia desistere cogantur ad ulteriorem administrationem; quod tamen in Asthmate, & multo magis in Orthopnæa timendum, in quibus aliquando tanta urget respirandi necessitas, ut homines præ angustia animam agere videantur, & nisi succurrantur, in syncopim quandoque, & in mortem ipsam impingant. De his igitur si paroxysmos frequentes habeant, & maxime si certis ac determinatis temporibus recurrant, videndum, an repellendi omnino sint à promotione, nisi promoti fuerint, etsi promoti sint, an prohibendi ad administrationem sacrorum ob rationabilem timorem incurrendi periculum à me commemoratum.

S V M M A R I V M.

- 1 Passionum, quæ Irregularitatis causam dare possunt ad stomachum, & ventriculum pertinentium enumeratio.
- 2 Oesophagi, & Ventriculi ulcera quatenus, & cur Irregularitatem inducere debeant.
- 3 Deglutitio quibus modis ledatur, & quando faciat hominem irregularem.
- 4 Deglutitionis difficultas in ingerendis cibis solidis tantum, aut in ingerendis liquidis tantum, an sacra debeat Irregularitatem.
- 5 Cardiaca passio, seu Cardialgia quid sit, & quam causam Irregularitatis præbere possit.
- 6 Ventriculi dolor quando faciat hominem irregularem.
- 7 Singultus quid sit, & quomodo à Vomitu, & à Nausea differat, ac quando Irregularitatem inducere possit.
- 8 Vomitus quatenus, & quibus in casibus inducere debeat Irregularitatem.

9 *Nausea quid sit, & quando videatur inducere Irregularitatem.*

De stomachi, seu Oesophagi, & ventriculi vitiiis.

QVÆSTIO XI.

Stomachus, & Oesophagus proprie vocatur, duobus; per quem cibi, & potus in ventriculum ingeruntur; ventriculus proprie, qui potus, & cibos recipit, retinet, ac concoquit. Circa has partes nonnulla vitia respectu Irregularitatis sunt considerata, quorum tamen nullum præter vomitum videntur Canonistæ in consideratione habuisse; nos de aliis quibusdam mentionem facimus, quia iuxta generales Canonistarum regulas, videntur sufficientem causam præbere Irregularitati. sunt autem quæ sequuntur, nempe ulcera harum partium, læsa deglutitio, Cardiaca passio, ventriculi dolor, singultus, nausea, & vomitus. Et quoad ulcera certum est, ea magni momenti esse, si in Oesophago, existant multo majoris autem si in ventriculo; utraque autem habere secum impedimentum liberi usus corporis, impeditur enim, seu inquam labefacatur hæc naturalis actio deglutienti, tales enim non possunt absque molestia quicquam deglutire, maxime autem vinum, quod morbum, & dolorem in ulceribus generat; præterquam quod utraque habent secum manifestissimum periculum adiunctum, ex eo enim, quod non facile curationem admittant, indies majora fiunt, & sordidiora, & malignitatem concipiunt, quousque tandem hominibus, vel lienteria, vel dysenteria absumatur.

Quoad læsam deglutitionem sciendum erit, Naturam fabricasse Oesophagum, quem proprie stomachum, & gulam Medici vocant, ut per eum tanquam per Tubum, seu conductum cibi, & potus ore recepti in ventriculum demittantur, unde illum ex filamentis, seu fibris, ac villis ad hoc fabricavit, quibus mediantibus tanquam chordis, seu potius manibus cibos, & potus in ventriculum detruderet. Duabus autem Tunicis illum, Oesophagum inquam, natura donavit, interna crassiori, rectisque fibris dotata, externa terminosi, & transversas ac circulares fibras habente; rectis interna membrana tanquam manibus utitur, ut dixi, ad attrahendos cibos, & potus in ventriculum; transversis, ac circularibus externa utitur ad tradendos eosdem cibos, & potus in ventriculum, & ad expellenda noxia per vomitum. Fit ergo, ut hæc pars, nempe Oesophagus hanc deglutienti actionem, vel omnino amittat, vel male, difficulter, ac diminue exerceat, si difficulter, & diminue deglutire illum contingat, non tam considerabilis affectus videtur, ut in hoc negotio de Irregularitate locum habere debeat, sed si nullo modo deglutire possit, quomodocunque id fiat vel ex Apostemate, inquam, vel ex ulcere, vel ex Paralyti, Irregularitati videtur esse maxime locus, quod quidem ampliandum videtur in difficillima & anxiosa deglutitione, (nam totalis amissio deglutitionis absque dubio hominem paucorum dierum spatio à medio tollit, licet noverimus quosdam, qui usque ad quadragesimum perduraverint, & sanati etiam sunt, absque eo quod quidem eo tempore deglutirent) nam in celebrando sacrificio missæ ea actione libera opus ha-

bemus; videant ergo Canonistæ quatenus in hoc casu intret Irregularitas. Præterea animadvertendum, quod deglutitio aliquando difficillima fit in ingerendis cibis solidis, cum contra liquidi facillime deglutiantur. Secundo contrarium quandoque evenit, ut cibi solidi absque difficultate deglutiantur, liquidi nullo modo. Tertio denique fit, ut neque solidi, neque liquidi deglutiri possint. Itaque quomodocunque hæc actio deglutienti fieri desinat, videntur prædicta habere locum, cum maxime in celebrando sacrosancto Missæ sacrificio libera deglutitione, ut dixi, indigemus. Sed certe curiositate non vacat dubium, quod moveri circa hanc deglutitionis difficilis differentiam potest, & est, quam ratione fieri possit, ut interdum solidi cibi deglutiantur, liquidi nequaquam, immo in aliquibus tam difficilis redditur deglutitio potulentorum, ut eam tentare absque suffocationis periculo non possint. At vero apertissime patet majorem vim requiri in deglutendis solidis cibis, quam potulentis, ergo si solidi deglutiantur, cur non deglutiantur liquidi, in quibus ingerendis minor vis concurret? Sed dupliciter satis fieri potest, huic dubio, primo negando, majorem virtutem requiri in ingerendis solidis, quam liquidis absolute, nam in deglutendis, quæ offeruntur necesse est Oesophagum constringi, & amplexando oblata per rectas fibras detrudi in ventriculum; modo majori restrictione opus habet ad ingerenda, & amplexanda potulenta, quam solida; unde ad ingerendos cibos solidos sufficienti forte fibræ interioris membranæ, at in ingerendis potulentis concurrere etiam debent transversæ, & circulares fibræ tunice externæ, & sic majus negotium Naturæ facessit ingestio potulentorum, quam solidorum, & huic opinioni adhæret etiam Daniel Sennert. lib. 3. præf. par. 1. sect. 1. cap. 3. quæst. 5. licet antequam ipsius scripta vidissem, eam concepissem. Vel dicamus in liquidorum deglutitione pauciores musculos, & partes concurrere, quam in deglutitione solidorum; ac fieri interdum, ut etiam male affectis quibusdam musculis, aut instrumentis ad deglutitionem deservientibus, eorum tamen deglutitio fiat per alios musculos, & organa sana, at in deglutitione liquidorum si qui musculi deficient, aut organa ad id inservientia, non posse suppleri per alia, & sic aut difficillime, aut nullo modo liquida deglutiri posse.

Sed ad alia progrediamur, offertur igitur post hæc considerata passio quædam ventriculi Syncope Cardiaca dicta, seu Cardialgia, de qua supra; & essent quidem nonnulla circa nomina ponderanda, sed satis illud sit, me hoc per hanc vocem Cardiacæ, vel Cardialgiæ significare velle, nempe passionem quamdam, oris superioris ventriculi cum dolore, & anxietate maxima, & aliquando etiam cum animi defectus, & Syncope. Cum ergo hæc passio Syncope jungitur non eget ulteriori consideratione, nam ex ejus culpa irregularitas inducatur, nec ne, quippe cum non minus quam ipsa Syncope ex primaria cordis affectione procedens culpam debeat; sed dubium tantummodo est, utrum si solo dolore, & anxietudine molestare ægrum soleat, Irregularitatem tamen inducat. At neque circa hoc alium dubium intervenire debet, cum passio sit acutissima, & molestissima, & tanto angore hominem sollicitet, ut neque stare eum loco permittat, neque libere respirare, immo ne loqui quidem aliquando,

Quæstio XII.

De Irregularitate.

quando, unde palam ire quod ob impedimentum liberi corporis usus præter alia Irregularitatem inducat. quod amplius non solum dum actu hominem affligit, sed etiam extra paroxysmum in aliquibus, quia hæc passio in nonnullis est ex facile recurrentibus. si quis ergo illi sic obnoxius videant Canonistæ an perpetua Irregularitate detineatur.

Non eadem passio est ventriculi dolor, & Cardialgia: nam Cardialgia ad os tantum ventriculi pertinet, dolor ad totum ventriculum; illa ab acutis, & malignis humoribus & plerumque calidioribus excitatur, hic à frigidis, & crudis, à flatibus, & à pituita fit, ut plurimum. Est tamen ventriculi dolor passio magni momenti, non tamen ut Cardialgia, tum quia ille à benignioribus humoribus generatur, tum etiam quia pars affecta in hac est exquisitissimi sensus, & quæ nequaquam absque cordis ipsius affectione durare possit. Sed habet etiam ventriculi dolor illud inconueniens, ut facile recurat, & siquidem dolor sit insignis, ac notabilis plura alia symptomata maxima consideratione digna excitare solet, ut Animi deliquium, & Lipothymiam, & præterea Nauseam vomitum, & anxietudinem. Si ergo facile recurat, & ad hanc magnitudinem perveniat, non minus quam alii similes morbi culpari ex mea sententia debet, quoad Irregularitatem inducendam.

Singultus est quasi convulsivus quidam ventriculi motus, & est inanis quidam ipsius conatus ad noxia expellenda, in hoc à vomitu differens, quod vomitus est motus ventriculi, quo expellit cibos, & potus, aut humores in eo contentos, per os; differt etiam à Nausea, quia hæc est quædam inanis stimulus ad vomendum, neque fit in ea, ut in singultu, motus ille convulsivus; ob cujus respectum singultus molestia affectio certe est, circa quam illud tantummodo libet adnotare, nonnullos ex assumptione cuiuscunque potus jejuno stomacho facta singultum molestissimum incurere, ac maxime aliquibus familiarem esse expertum, tum ubi potus fuerit vini dulcis (quod tamen evitari facile potest), sed alios vidi, ut hoc obiter dicam, multas res dulces deglutare vel primoribus labris posse absque eo quod illico singultu præhenderent. Vitium igitur illud incurrendi singultum ex quocunque potu jejuno stomacho sumpto non videtur sicco pede petrandum, de quo quid statuendum sit, Canonistæ videbunt.

Vomitum quid sit norunt omnes, eumque superius definitivimus, sed diversæ species est, & respectu causarum cum excitantium, & respectu materialium, quæ evomuntur. Canonistæ de eo maxime loquantur, qui fieri solet ex intemperie, & languore ipsius ventriculi, sed non hic tantum dare debet Irregularitati causam, dum qui ex languore procedit Irregularitatem facit, sed ille etiam, qui fieret ab aliquo humore calido, & acri, vel etiam alterius naturæ stomachum irritante, ac cogente ad ejus expulsionem, ac profecto quomodocunque succedat, ut homo sæpe, ac levi quaque ex causa, & indifferenter quocunque tempore etiam jejuno stomacho, vomitu proritetur, habebit urgentissimam Irregularitatis causam: nam alias si quis non nisi ab assumpto cibo vomeret, vel certo tempore, ut exempli gratia noctu, non interdiu, vel stomacho pleno, non autem jejuno, certe non nisi injuria, quantum ego existimo, ab administratione, vel à promotione sacrarum repelleretur. Et quia diximus vomitum

variari secundum varietatem materiæ ejectæ, dicendum nunc, quod cuiuscunque materiæ vomitus fiat, nempe sanguinis, pituitæ, bilis, aut melancholiæ, vel serositatis, vel puris, vel mixtæ, & heterogeneæ cuiuscunque materiæ, dummodo frequens sit, & indifferenter qualemque hora molestare consueverit, Irregularitatem inducet, sed maxime ille, qui jejuno stomacho fit, & minima ex causa, ac præcipue ex assumptione materiæ potulentæ, & ratio patet.

Sed quid dicendum de Nausea, quæ motus quidam ventriculi est, quo inaniter conatur contenta per vomitum expellere? certe Nausea solet præcedere vomitum; sed si Nausea simplex sit, nec ad illam ullo modo vomitus sequatur, dubitari potest, an hominem Irregularitati subjiciat, nec ne; & hæc sitandum non est, ex ea aliquod dedecus, & indecentiam in ministrando sublequi posse, an vero sufficiat ad Irregularitatem inducendam, Canonistæ videant.

S V M M A R I V M.

- 1 Intestinorum morbi Irregularitatem inducunt.
- 2 Intestinorum dolores qui, & rennium dolores quatenus inducant Irregularitatem.
- 3 Dolores colici.
- 4 Fæcum incontinentia quomodo fiat, & an Irregularitatem inducat.
- 5 Fæcum rejectio per os, & aliena loca quando, & quatenus præbere debeat causam Irregularitatem.
- 6 Hæmorrhoides quid sint, & quales sint morbi eorum, de quibus dubitari possit, an Irregularitatem inducant.
- 7 Hæmorrhoidis dolor quando faciat hominem irregularem.
- 8 Venarum hæmorrhoidalium apertio utrum, & quando inducat Irregularitatem.
- 9 Hepatis morbi, de quibus dubium esse potest, an faciant hominem irregularem.
- 10 Cachexia quid, & an faciat irregularem.
- 11 Hydrops quid, & ejus species, & an inducat Irregularitatem.
- 12 Icterus quid, & an irregularitatem inducere debeat.
- 13 Icterus Niger quomodo fiat, & an Irregularitatem inducere debeat.
- 14 Lien utrum excipi possit, & an is, cui exemptus est, vel alia ratione deficit, Irregularitati subjiciatur.

De vitiiis Intestinorum, Hepatis, & Lienis.

QVÆSTIO XII.

In intestinis quoque vitia adnotantur, quorum culpa dubitari potest, an Irregularitas locum habeat, nec ne; quatuor autem ex eis tantummodo proponam, quæ majus videntur negotium facessere, nempe dolores, fæcum incontinentiam, earundem fæcum per aliena loca, sed præcipue per os rejectionem & Hæmorrhoides.

Dolores Intestinorum variant pro varietate eorundem Intestinorum, & pro varietate causæ, & materiæ dolorum excitantis; sed nobis sufficit hanc varietatem ex loco tantum delumere, seu potius ex varietate ipsorum, ut dixi. Intestinorum quædam tenuia sunt, quædam crassa, & sic dolores in duplici. Ecce 3 plici

plici erunt differentia, & qui tenuia occupant Iliaci dicuntur, ab Ileo intestino, suntque dolores acutissimi & mortales, qui vocantur alio nomine Chordapilus, & Volvulus, & Miserere mei, de his autem non est necesse quicquam addere, cum hominem interdum brevi paucorum dierum, immo & horarum spatium medio tollant.

3 Dolores qui crassa intestina molestant Colici nominantur à Colo intestino, in quo præcipue generari solent. His nonnulli adeo obnoxii sunt, ut minima quamque ex causa illis molestantur, & cum his non contemnendis accidentibus anguntur, & in actu quidem affligendi nullam dubium facere debent, quod hominem à quacunq; actione impediunt, & irregularem faciunt; sed videndum, num promptitudo relabendi in tales dolores sufficiens causa irregularitatis esse debeat.

4 Fæcum incontinentia fit resolutio musculo Ani, qui Ani Sphincter dicitur de qua jam nonnulla diximus turpisque admodum affectio est, ex qua homo fæces retinere non potest, sed involuntarie, & absque ullo sensu emittuntur, quod vitium in Senibus animadvertitur, ac præcipue in Decrepitis, qui sese facile conspurcant; ex qua turpitudine certe videtur fieri irregularitati locus, cum & inter celebrandum, & ministrandum facile id accidere possit cum maxima indecentia; indifferenter enim quocunq; tempore id illis accidere solet præcipue vero in magnis ætibus, & in magnis frigoribus; cum namque musculus ille paralyticus patitur, & omnem sensum amittit, ac omnem virtutem retentricem fit, ut fæcos vel aciores ex se excidant, vel etiam sua multitudine, in percipiente musculo stimulum ipsarum fæcum expultricem excitantium, non potest saltem momento illas retinere, ne importune exeant. Itaque consideratione digna affectio hæc censenda, & quæ à Canonistis, ut res requirit ponderetur.

5 Verumenimvero magis multo turpis affectio in aliquibus, licet de raro, observatur, & est ipsarum fæcum per aliena loca rejectio, ut per Umbilicum, per Penem, per vulnera, & ulcera ventris, & per ipsum os, hoc ultimum symptoma, nempe fæcum rejectio per os aut à natura fit, & est rarissimum, & de quo nihil ob id venit dicendum, aut ex morbo, ut in volvulo, & quia citissime ex eo morbo homo decedit, neque de hoc quicquam addendum. fæcos per os ab aliquibus ad aliquot annos, interdum etiam toto vitæ curriculo fuisse expurgatas, observatum à Medicis est. nam nonnullis ex Ani naturali clausura fæcum exitus impediatur, & sursum tendentes per os rejiciantur. alii ex Scirrho obstruente viam intestinorum idem contingit, & in neutris videtur posse intervenire dubium circa irregularitatem; quod intervenire possit in exitu fæcum per alia loca; affectio quidem semper turpitudinem magnam habet, & si turpitudine abscondi possit, adhuc in dubio res est, si minime paucissimi, dubio nullo modo est locus.

6 Hæmorrhoides vocantur quatuor illæ venæ, quæ in ano partim intro, partim foras terminantur. duæ idcirco internæ vocatæ, duæ externæ. hæc aperiri interdum, ac multum sanguinis effundere, inflammari tumescere dolere, ulcerari contingit, & ex ulcere fistulas procreari. in quibus omnibus casibus licet turpitudine aliqua & sanitatis incommodum interveniat, non ejus ponderis aut turpitudinis, aut incommodum sanitatis videtur, ut irregularitati

locum facere debeant, quia turpitudine contegi facile potest, & incommodum modicum est. Apertio tantum, & dolor facere majus dubium possunt, & de dolore primum dicendum videtur, quod si considerabilis sit non alias, quam nonnullarum aliarum partium dolores culpari debeant, cum non minori impedimento interdum sint, quam alii, de quorum nonnullis jam verba feci. De apertione, & sanguinis rejectione dicendum, quod si copiosissima sit, & perennis ita, ut non modo hominem debilem reddat, sed ad Cachexiam, & Hydropem disponere videatur, quod facile cognoscitur ex illudabili corporis colore, non carebit dubitatione, an irregularitatem inducere debeat, nec ne; non est enim absque turpitudine, & sanitatis incommodo.

Ceterum ad Hepar nonnulli pertinent affectus, ex quorum culpa irregularitas contrahi debere videretur, de quibus tamen Canonistæ pauca, & tamen, ut mihi videtur, non irracionabiliter de his dubitari potest. Sunt autem præcipue Cachexia, 9 Hydrops, Icterus. Cachexia dicitur malus corporis habitus, ex eo enim quod Hepar jam refrigerari incipiens non bene suo munere in sanguificando fungitur, cum sanguinem frigidum, & aquosum, & qui nutritioni minus aptus est, generat, ægrotantes primum corporis colore contrahunt, & secundum aliquas ejusdem partes inflantur, ex quo non modo turpitudinem notabilem incurrunt, sed ad liberum corporis usum vix si ficere possunt. ex hoc Ægri ad Hydropem tendunt, qui major morbus est; nam Hepar jam omnino refrigeratum loco sanguinis aquam generat, quæ à Natura inter ventris cavitates, & per inania corporis spatia demandatur, & tumores procreat Oedematosis, præcipue autem ex ea re venter intumescit, cum admodum pravo corporis colore, & notabili actionum quarumcunq; impedimento. Vocatur Hydrops hic aquosus, nam alius, ubi flatus prædominantur, Temparitis vocatur; & tertia demum species, in qua tibie frequentius mirum in modum incaffantur, licet & aliquando etiam totum corpus incaffatur, vocatur Anasarca. In singulis intervenit non modica turpitudine, gravitas in motu, ac præsertim in incessu, & in prioribus adest summa sitis, & respirandi etiam difficultas, & alia symptomata non ultimæ notæ; unde ponderatis his, quæ Canonistæ concurrere volunt ad irregularitatem ex aliquo morbo inducendam, nil aliud determinari potest, quam ex Hydrope hominem fieri irregularem.

Tertius deinceps affectus, quem nominavimus Icterus est, seu Ictericus, quæ Morbus Regius, & Arquatus, & fellis suffusio appellatur; in eaque totius corporis color, non inquam, tantum carniū sed interdum etiam oculorum, & unguium omniumque denique partium ad flavum convertitur cum ingenti deturpatione, ac tale, ut ipsimet Ictericus in publicum prodire, & ab aliis conspici verecundentur, unde forte non tam libere admitti ad suscipiendos sacros ordines concedendum, ut admitti dicit Majol. lib. 1. de Irregul. cap. 21. num. 2. nam licet quoad corporis functiones nihil fortasse incommodi afferat, tamen sufficientem causam irregularitati præbere videtur ipsa morbi turpitudine, præterquam quod ubi sæpius recurrit, majorem morbum portendit; ut Hepatis Scyrrham, ejusdem refrigerationem, Cachexiam, & Hydropem. Illud tantum aliquam limitationem exposcit, quod in Ictero, ut irregularitatem inducere dicatur, requiritur,

De Renum, & Vesicæ Vrina- riæ vitiiis.

QVÆSTIO XIII.

IN his partibus nonnulli observari possunt morbi, de quibus, ut de aliis nonnullis dubitari absque ratione potest, an irregularitatem inducere debeant, nec ne, hi sunt Renum dolores Nephritici dicti, & maxime ex calculis provenientes, Diabètes, seu urinæ profluvium, urinæ incontinentia, & vesicæ urinariæ calculus.

Dolores ergo Renum acutissimi sunt, & intolerabiles, ex quorum vehementia hominum omnino corporis usu privatur, cumque sint ex morbis facile recurrentibus, dubitari potest, an qui illis obnoxii sunt, promoveri debeant, necne; cumque ex dolore capitis, qui magnus sit, & summo peregrino hominem angat, videam Canonistas judicare hominem irregularem, videtur mihi non minus culpam posse dolorem Renum ad hunc effectum ubi & magnus sit, & sæpe recurrit, nisi dicamus, Canonistas judicasse dolorem capitis inducere irregularitatem quando non solum est gravissimus, sed etiam continuus, & nunquam desinit. Majol. lib. 2. c. 23. non vero quando interdum hominem dimittit liberum, licet postmodum recurrit, quamobrem idem forte dicendum erit de dolore Renum, quando hominem liberum relinquit, licet sæpe recurrit. sed certe non nisi multo tempore culpandi videntur similes acuti, ac graves dolores etiam si hominem liberum relinquant, ubi sæpe recurrant.

Diabètes Renum passio est, in qua potulenta incocta redduntur, unde urina copiosissime redditur. dicitur urinæ profluvium, & Hydrops Matulæ, rarus sane affectus, sed consideratione dignus in hoc negotio, quippe cum afferat fecum alia symptomata molestissima, ut febriculam consumptivam, sitim inextinguibilem, corporis extinctionem, tandemque mortem. tametsi ægrotantes per aliquod tempus læto se non continent, nisi ingravescente morbo. sed certe ex eo in administratione sacrorum ob necessitatem reddendi urinam, aliquod scandalum, & indecentiam imminet; quamobrem à Canonistis pertinebit determinare, an ab administratione; & à promotione etiam si non sint promoti, repelli debeant.

Differt urinæ incontinentia à prædicto affectu Diabète dicto, vel urinæ profluvio; in hac enim, hoc est in urinæ incontinentia, urina non multa redditur, sed redditur involuntarie, & contineri ad libitum non potest, ita ut Ægri se ipsos commingant, in illo vero redditur urina copiosissima, sed cum consueto sensu, nec præter voluntatem urinæ incontinentia fieri solet in his, qui vesicæ calculo laborant, sed ob urinæ acrimoniam, & fit cum sensu, immo cum tristi sensu; sed illa, de qua loquimur, fit ob paralyticum, & resolutionem musculi sphincteris vesicæ urinariæ os claudens, & ob ejusdem refrigerationem, ex qua deperditur sensus. Habet hic affectus dedecus multum, sed quod abscondi utcumque possit; appenditur enim vas tubum retortum habens, quod urinam excipit, in cuius os penis immittitur, & sic evitatur omnis turpitudine, quæ ex eo affectu emanare possit; igitur utrum hæc turpitudine sit causa sufficiens irregularitatis, ij. Eec 4

ritur, ut in plerisque aliis morbis, ipsius Icteri gravitas, nempe ut sit universalis, & color sic intente mutatus, & afferat fecum alia symptomata in hoc morbo familiaria; hoc enim pacto major turpitudine, & majus sanitatis incommodum ex eo emergit; alias autem si quis leviter suffunderetur, etiam si hoc illi sæpius contingeret, non tam de facili videretur Irregularitati subjiciendus.

13 Est & alius Icterus Niger dictus ad differentiam præcedentis, qui flavus nominatur, in quo ex effusione succi melancholici ad cutim corpus totum nigro colore inficitur, ita ut homo secundum faciem, & totum corpus adeo naturalem colorem in nigrum mutat, ut ex nigris parentibus natus appareat. hic morbus vitio Lienis contingit; nam quemadmodum liis reducans in Hepar cum sanguine transmisit ad vesiculam ei appenam relegatur, sic humor niger, & melancholicus transmittitur cum crassiori languine ad Lienem, ubi aliquando vel turgens, vel recipit in proprium receptaculum aliquo modo impeditur per totum corpus effunditur, illudque nigredine inficit. Videtur ergo hic affectus non modo patrem prædicto, sed majorem inferre turpitudinem, nisi quod color niger magis homini familiari videtur, quam flavus, ergo & de hoc Ictero nigro idem dubium, quod de flavo moveri poterit, & eodem modo resolvi, quantum ego existimo, licet forte contrarium velit Majol. ubi supra.

14 Movet præterea idem Majol. dubium de eo, cui Lien exemptus est credens ex aliorum traditione Plinii præsertim lib. 11. cap. 37. Lienem quibusdam, ad expeditores ad curandum sint, eximi. Alii crediderunt Lienem saltem inuri posse, ne majorem in molem tollatur, cum Lien magnificatus levitatem cursus maxime impediatur; ad quod confirmandum addunt, integras interdum Lienis portiones in vulneratis per vulnus exiisse ex Aræti testimonio de cur. & sign. Acut. cap. 14. imo & totum per vulnus exemptum dicebat Plinius ubi supra. quod non videtur inficiari And. Laur. lib. 6. Anatomie q. 25. ex hoc quod multa animalia perfecta sine Liene vivant, quin etiam hominum cadavera quondam dissecta sine Liene reperta commemorat, sed usus Lienis tam necessarius est, ut sine ejus operato sanguis perpetuo coinquatus remaneret; præterquam quod necesse est in extrahendo Liene plurimas venas, infinitaque arterias dilacerari, itaque recte ab Aureliano lib. 3. Chron. pass. c. 4. scriptum est, ex qua Sennert. Pract. lib. 3. part. 4. cap. seq. Lienem excindendum, vel urendum esse voce quidem dictum fuisse, non officio completum. In omnem casum illum, cui Lien exemptus esset adeo morbis obnoxii evadere necesse esset, ut ex hoc tantum irregularitati facile subjiceretur.

S V M M A R I V M.

- 1 Renum dolores quam causam præbeant irregularitati.
- 2 Diabètes quid, & quando causet irregularitatem.
- 3 Urinæ incontinentia quid, & quando faciat hominem irregularem.
- 4 Urinæ incontinentia ex calculo videtur facere hominem irregularem.
- 5 Vesicæ calculus quam ob causam facere debeat hominem irregularem.

tatis, & utrum evitetur sufficienter ea turpitudine, modo praedicto. Canonistis determinandum relinquitur. Majus multo incommodum habet urinæ incontinentia, quæ ex calculo vesicæ fit, ob dolorem enim & cruciatum in reddenda sæpe sapius urinam non facile potest vitium calari, itaque neque facile vitari poterit Irregularitas.

5 Vesicæ autem calculus molestissima, ac lævissima passio est, ex qua homo perpetuis cruciatibus in urina aliquando per vim, & cum maximo conatu reddendo, aliquando vero coacte, & involuntarie, ut jam dictum est, obnoxius esse solet; ex ea igitur passione causari Irregularitatem non videtur dubitandum, quippe cum homo liberum corporis usum non habeat, sed inter agendum, quæcumque tandem agat, cogatur urinam, ut dixi, cum dolore, & ardore, & anxietate maxima reddere, unde non solum habet impedimentum liberi usus corporis, sed etiam turpitudinem, & indecentiam; quamobrem nulla causa est, quin & à promotione, & ab administratione sacrorum arceantur, nisi secus Canonistis visum fuerit determinare.

S V M M A R I V M.

- 1 *Morborum partium genitalium, qui Irregularitati causam dare possunt, enumeratio.*
- 2 *Vera Gonorrhæa quid, & an faciat Irregularitatem.*
- 3 *Involuntaria pollutio quid, & an faciat locum Irregularitati.*
- 4 *Pseudogonorrhæa quid.*
- 5 *Castrati, & Eunuchi respectu Irregularitatis contrahens qui veniant dicendi.*
- 6 *Qui post pubertatem emittuntur magis habiles ad omnia, quam qui ante pubertatem, & qui Eunuchi nascuntur minus quam ceteri omnes.*
- 7 *Qui uno Testiculo dotantur non sunt ut ceteri Eunuchi habendi, neque idcirco puri Irregularitati sunt obnoxii.*
- 8 *Viriliter medicaminibus amissa, an faciat locum Irregularitati.*
- 9 *Hermaphroditum plures species, & quoniam videantur posse inducere Irregularitatem.*
- 10 *Is cui Penis abscissus est, an sit Irregularis, ut in lege veteri.*
- 11 *Libentius videndum dispensandus is, cui Penis est abscissus, quam ille cui abscissi fuerunt Testes, aut quicumque Eunuchus.*
- 12 *Qui cum Glanide imperforata nascuntur an, & quando Irregulares sunt, & quando facilius dispensari, posse videantur.*
- 13 *Priapismus quid sit, & an irregularem hominem facere debeat.*
- 14 *Satyriasis quid differat à Priapismo, & cur hominibus facere debeat Irregularem, qui dispensari nullo modo possit durante affectu.*
- 15 *Hermaphroditorum plures species.*
- 16 *Quidam nascuntur Hermaphroditis, aut tales judicantur, ob latentiam virilitatis, cum mares sint.*
- 17 *Hermaphroditis femines sexus, & insensibilis perfectissimi, Hermaphroditis descriptio.*
- 18 *Hermaphroditis omnes Irregulares.*
- 19 *Hermaphroditus qui penitus in feminino sexu non incaluit, an sit Irregularis.*
- 20 *Hermaphroditis omnes muliebri animo, ac moribus videntur dotari ut plurimum.*

De vitii Membrorum generationis.

Q V A E S T I O XIV.

IN his quoque partibus vitia quædam, ac morbi adnotantur, qui Irregularitatem inducunt, aut saltem dubium in ea re excitare possunt; sunt autem præcipui Gonorrhæa vera, vel seminis profluvium, Pollutio involuntaria, Pseudogonorrhæa, vel Gonorrhæa Gallica, Testium defectus, Penis privatio, Glans imperforata, Priapismus, Satyriasis, & quædam alia vitia circa sexum, de quorum nonnullis Canonistæ ne verbum quidem, cum tamen sint multa consideratione digna.

Quoad veram Gonorrhæam, hoc est veri seminis effluvium, certum est in Lege veteri ipsam repulisse ab administratione in templo homines, ut habetur *Levit. cap. 21. & seq.* nec injuria, cum passio sit admodum verecunda, & periculo non vacet, ex ea enim homo, si diu perseveret, in Tabem, seu Marasimum incidit. est autem hæc passio involuntarium veri seminis profluvium absque Penis erectione, & absque prævia venerearum rerum ulla imaginatione; videtur igitur, quod licet turpitudine ab ea emanans non sit patens, sed facile calari possit, indecentia tamen ab ea proveniens sufficiens esse debeat ad inducendam irregularitatem, cum respiciat sacramentorum Irreverentiam non obstante quod semen involuntarie effluit, & absque ulla delectatione. Nota autem quod, ut diximus, duplex est Gonorrhæa, vera scilicet, de qua locuti sumus, & falsa, Pseudogonorrhæa vocata, nempe Gonorrhæa Gallica, de qua inferius, majoremque turpitudinem esse ex parte prioris, & majorem etiam irreverentiam importare illam, quam posteriorem, non obstante quod hæc posterior est Gallici morbi semine, ut plurimum perveniat; & ratio est, quia in vera Gonorrhæa ipsissimum semen genitale effluit, & licet ut plurimum absque delectatione effluit, quandoque etiam non omni sensu delectationis privatur, quod quidem turpissimum est, & omni indecentia concomitatum. at in falsa Gonorrhæa non verum semen, sed materia quædam serosa, aut alterius conditionis interdum genitali semini non ab similibus expurgatur, sed semper absque ulla venerea delectatione.

Sed adhuc majus multo dedecus inducitur ex involuntaria pollutione: nam quidam minima ex causa & dormientes, & vigilantes, ut ex solo aspectu pulchræ mulieris, vel lascivientis hominis, vel Bruti pollutantur; quæ passio in hoc à vera Gonorrhæa differt, quod in Gonorrhæa vera nullus est, aut saltem modicus, neque perpetuus delectationis sensus, neque Penis erectio; at in pollutione involuntaria semen eicitur cum consueta voluptate, & Pene erecto non alia quam cum data opera in celebranda venere emittitur. Iamque nonnullis huic passioni obnoxios & ego ipse non semel vidi, & indies ab aliis Medicis alii observantur, de iisque alias *lib. 2. de Morbo Hypochondr. cap. 12.* mentionem habui, ubi loci aliquos me vidisse memoravi, qui simplici lascivæ mulieris aspectu, aut sermonis lascivi auditu, vel ex inspectione brutorum inter se cœnantium, quinimmo interdum ex suppositorii, vel clysteris receptione pollutionem patiebantur. hæc ex feminis acutæ, aut partium debilitatam fecerunt.

Quaestio XIV.

De Irregularitate.

secundum retentricem, vel ex utraque causa juncta tamen valida imaginatione proveniunt; ac de his quidem quod nec promoveri debeant, nec promoti ministrare, dubio non esse locum existimo.

4 Pseudogonorrhæa est, ut dixi, profluvium ejusdem materiæ seminali interdum similis facta à prava qualitate per contagium introducta in ipsis natis feminariis, & quia de ea verba faciendi iterum sunt, cum de morbo Gallico discedendum erit, pro nunc nihil addam, sed illud tantum repetam differre hæc à vera Gonorrhæa per ea, quæ jam de utraque supra dixi.

5 Testium defectus, continet Castratorum, Eunuchorum, & similibus species omnes, de quibus sermonem instituere paro. Ad hunc igitur effectum Castratos, & Eunuchos eos omnes vocandos censeo, qui naturali usu Testium privantur, hoc est virtute generativa, & virilitate, sive id per castrationem, sive per attritionem, sive per contabescerentiam eorum fiat, atque id ipsum sive à Natura, sive ab Arte, sive ex accidenti contingat; & ulterius sive omnino deficiant, sive tam exigui sint, ut nulli usui esse possint, sive etiam situm suum non servant. Hi ergo omnes eodem Irregularitatis vinculo obstringantur. *Majol. lib. 1. cap. 15. num. 1.* atque id duplici ex causa prima ob defectum membrorum, secunda quod vitari sint, & naturam induant muliebrem ut alias diximus, & ad hoc argumentum repetit *Majol. ubi. mox. num. 2.*

6 Notandum autem quod hæc naturæ mutatio in muliebrem magis predominatur in iis, qui ante pubertatem emittuntur, quam in illis, qui emittuntur post pubertatem, jam enim transacta pubertate calor partibus communicatus est, qui ad virilitatem hominem disponit, quod non potuit succedere ante pubertatem. Quinimmo qui tales nascuntur multo magis muliebri naturæ accedunt, quam qui castrantur; & tales quidem omnino mulieribus comparantur, nec magis habiles ad sacra ministranda judicantur, quam ipsæ sint mulieres, nisi forte Testibus ab omnino priventur; sed reconditos eos in inguinibus habeant, ut nonnullis evenire quotidiana docet experientia.

7 Notandum præterea quod ea, quæ de inhabilitate, & de naturæ mutatione in muliebrem dicuntur, locum non habent in iis, qui uno tantum teste dotantur, dummodo, si hoc à natura fit; servet debitam magnitudinem & situm; nam experientia constat viros nonnullos virtute, & rerum gerendarum solertia, & sanctitate conspicuos cum uno teste natos; ut de *Cotta, & Sylla, ex l. Qui cum uno Testiculo. ff. de re militari, dixi alias lib. 2. harrum Quest. vii. 3. quest. 6. num. 4.* & Eminentissimum Principem, ac Dominum meum singulari prudentia, ac morum suavitate, omnique virtute conspicuum, cum uno Teste natum tractavi; ex quibus clare patet unius testiculæ privationem nec naturam in muliebrem immutare, nec mores deteriores efficere, nec quicquam de virilitate demere; id enim sibi voluit *cit. l.* Qui cum uno Testiculo dum natos uno testiculo, vel etiam uno exiis non prohibet militare. Si ergo ullo modo Irregularitas habeat locum in iis, qui uno testiculo dotantur, certe ea ob membri tantum privationem habeat locum, & erit omni facilitate dispensabilis, forte etiam dispensatione non egere Canonistæ ex memoratis causis iudicabunt, quibus ea res releganda. certam autem est, talem membri privationem nullum cor-

poris usum impedire, nec turpitudinem aliquam inferre, aut si quam infert, facillime occultari, neque naturam in muliebrem immutare.

Quoniam vero virilitas non solum ex privatione Testium admittitur, sed etiam medicaminibus dobitari contingit hic, an hi quoque ut alii castrati irregulares sint: nam de origine narrat, & refertur ab eodem *Majol. ibid. num. eod.* quod adhibita testibus nescio qua herba virilitate se privaverit; & Medici ipsi nonnulla medicamina ad id proponunt, quibus testes contabescant. Sed advertendum quod hujusmodi remedia si ante pubertatem admoveantur possunt suum effectum utcumque fortiri, sed si post pubertatem, & maxime post provectam ætatem suo effectu omnino frustrantur; idcirco quid de Origine dicendum sit, hinc patere potest, & mirum ipsum potius ferro, quam aliquo medicamine se virilitate privasse. Ad dubium videtur dicendum, quod ubi virilitate etiam per medicamina quis privetur, & vigorem naturalem amittat, & in muliebrem naturam abeat, videtur eandem irregularitatem habere, quam alii.

Verum quia in Oscheo, seu Scrotto, & Testium receptaculo sunt herniæ, de iis quoque aliquid dicendum. ea quidem plurium specierum sunt, atque interdum ad eam magnitudinem deveniunt, ut homines cogantur subligaculis tumens scrotum sustentare; sed intestinalis Hernia majorem multo in modum, quam aliæ, plerumque excrescit, omnia enim intestina in scrotum decidunt, ex quo non modo insignis turpitudine, sed maximum incommodum in libero corporis usu emanat. quinque hujusmodi herniosi obnoxii sunt ex improvise interdum doloribus colicis, & Iliacis, seu vulvulo, quamobrem determinandum erit, an irregulares sint, & an aliqua dispensatione, vel nulla digni.

Quid sentiendum sit de eo, cui Veretrum, seu Penis abscissus est, videbatur determinatum per Legem Veterem *Deuteronom. cap. 23. vers. 1.* ubi hominem Veretro abscisso non alias, quam Eunuchos ab Ecclesiæ ingressu Deus prohibuit, cum tamen multa; quæ in lege veteri circa id determinantur, in nova non habeant locum, videndum an & hoc ex iis sit; nam si quidem non alia ex causa tales à promotione, & administratione sacrorum debeant eliminari, nisi quia membro privantur, hoc bene procederet, cum tamen hoc neque ullum corporis usum impediatur, & si quam turpitudinem habeat facile contegi possit; quoad reliqua autem non videntur illi, quibus abscissus Penis est debere pari passu cum Eunuchis ambulare; nam Eunuchi mutant naturam virilem in muliebrem, & mores acquirunt deteriores, non sic autem evenit de iis, quibus Veretrum abscissum est, nam & retinet virilem vigorem, & pristinos mores in nihilo deteriorum conditionem sortitos. Sed quomodo concipiatur sit, certum est, ob talem membri privationem non esse omnino ab irregularitate hujusmodi homines immunes, sed facile dispensari posse, & si quid mihi pronuntiare circa hoc liceret, libentius, & minori multo cum difficultate dispensarem cum hoc, quam cum quicumque generis Eunuchis.

Sed præter hoc vitium sive naturale sit, sive accidentale, aliud in ipso veretro adnotatur, cuius aliquando consideratio habenda est, illud autem est Glans imperforata; siquidem nonnulli nascuntur cum pene nullo foramine pervio; hi si quam aliam viam natura sibi non comparet ad urinam expellendam,